



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio XIX. De ministro ordinario, & delegato Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

concedit licentiam absolutæ, sed sub conditione, si iam iterum castitatem vouit: qua conditione stante, fit nunc votum nouum absolutum; ac per consequens eius sensus est: Volo me obligare denuo, etiamsi obligatus non essem: alioquin non esset votum absolutum simpliciter: sed tamen licentia Pontificis ad hoc votum absolutum, & cum illo sensu absoluto faciendum, non fuit absoluta, sed conditionalis, si iam iterum castitatem vouerat: nec in hac concessione est aliqua contradictio. Sic ergo in casu nostro finge, poenitentem petere facultatem à Pontifice confitendi hæc peccata Sacerdoti simpliciter, quia iam prius eadem proprio Sacerdoti confessus fuerat, Pontifex licentiam concedit sub eadem conditione: *Si iam eadem peccata proprio Sacerdoti confessus es.* Confessio est conditionalis: absolutio tamen, ad quam datur licentia, non debet esse conditionalis, sed absoluta, cuius sensus sit, remittere illa peccata, etiamsi prius remissa non fuissent: nam ad hanc absolutionem absolutam dari potuit licentiam sub conditione: in quo nulla apparet contradictio.

DISPUTATIO XIX.

De Ministro ordinario, & delegato Sacramenti poenitentiae.

SECT. I. *Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.*

SECT. II. *De Ministro delegato ad confessiones audiendas.*



IURISDICTION, quæ in Ministro requiritur, dupliciter habetur: scilicet, vel ordinaria, vel delegata, ut dixit Tridentinum. De utraque dicendum erit in hac disputatione, & prius de Ministro ordinario.

SECTIO I.

Quis sit Minister ordinarius in hoc Sacramento.

Minister ordinarius est, qui est Pastor respectu poenitentis: omnes enim Christi fideles Pastorem habent suum, præter unum Supremum Pastorem, qui licet ouis sit Christi, non habet alium Pastorem: potest tamen absoluti sacramentaliter ab illo Sacerdote, quem ipse elegerit: quomodo autem aut à quo accipiat iurisdictionem Confessarius Pontificis, diximus *suprà*, disp. 15. sect. 3. Cæteri omnes Pastorem habent, qui est eorum Confessarius ordinarius, nimirum, summus Pontifex est Pastor communis omnium fidelium, atque idem potest omnes absolueret potestate, atque iurisdictione ordinaria. Deinde Episcopus habet potestatem ordinariam in omnes suos subditos: Parochus denique in omnes suos parochianos, siue illi Laici sint, siue Clerici, vel etiam Sacerdotes.

De ipsius Episcopis dubitatur primò, quis sit eorum Pastor, qui ordinaria potestate possit eos absolueret. Aliqui volunt, eum esse Archiepiscopum: huius verò Patriarcham, qui immediatè subest Papæ, ut proprio Pastori. Ita Palud. & Syluester apud Suarez disp. 25. sect. 2. n. 10. Ipse tamen Suarez cum Soto, & aliis melius dicit, Episcopos subdi immediatè in hoc foro soli Papæ: quibus consentit Vas-

quez q. 93. art. 1. dub. 4. n. 2. An verò Archiepiscopus habeat potestatem ordinariam ad absoluerendos non solum suos proprios subditos, sed etiam eos, qui subduntur Episcopis Suffraganeis; dicendum est, habere, dum actum visitant diocesim Suffraganeam, ut colligitur ex cap. *ult. de consensu*, lib. 6. & noster Suarez cum aliis loco citato, & sect. 1. n. 13.

Possunt tamen Episcopi de iure communi eligere sibi Confessarium, ut vitetur animarum dispendium: quia difficile eis esset recurrere semper ad Papam, ut habetur in c. *ult. de poenitentis*, & remissionib. qua facultate possunt etiam uti, dum versantur in Curia Pontificis: quia concessio generalis est; & licet habeant apud se Religiosos, qui ex facultate Papæ possunt absolueret; possunt tamen alium sibi eligere, qui talem facultatem non haberet. Nouine autem Episcoporum comprehenduntur ibi alij Prælati superiores exempti: quia ita voluit Pontifex, & expressit in eodem indulto: quales sunt Abbates, exempti, & immediati Pontifici, & alij, qui habent similem iurisdictionem quasi Episcopalem: non tamen intelligitur Vicarius Episcopi, neque etiam Parochi, qui non sunt Prælati, & multò minus Abbatissæ, licet sint exemptæ, quia hæ non habent iurisdictionem Episcopalem, nec nomen Prælati.

Eodem indulto gaudent Prælati regulares, præsertim Generales, & Prouinciales, imò & Superiores locales, qui etiam sunt Prælati, & habent iurisdictionem in utroque foro, ut docent plures, quos congerit Diana tom. 2. tract. 2. de dubiis Regularium, resolut. 1. & tom. 3. tract. 4. miscellan. resolutione 1. Quod tamen limitandum notat Suarez disp. 27. sect. 2. num. 10. ut non procedat, quando in aliqua Religione iuxta specialia privilegia, vel Constitutionem à Summo Pontifice approbatam, Prælati inferior habet Confessarium designatum à suo Prælati Superiore, quia id est veluti ordinarius eius Index, & Pastor in hoc foro. An verò possint ij Prælati eligere Confessarium, à quo absoluantur à casibus reservatis, à quibus ipsi possunt suos subditos absolueret, dicemus disputatione sequenti, agentes de absolutione à reservatis sect. 5.

De Cardinalibus, qui Episcopi non sunt, dicendum est breuiter, eos saltem ex consuetudine posse eligere sibi Confessarium, imò & dare facultatem suæ familiæ eligendi Confessarium, ut cum Caietano, & aliis docet Suarez dicta disp. 27. sect. 2. num. 6. & disp. 25. sect. 2. n. 11. & 12. Potest etiam Episcopus familiam suam eximere à Parochia, sicut & Imperatores, & Reges dicuntur habere exemptionem, de hoc tamen id fere nihil sciri potest: solent enim frequenter confiteri Regularibus, quibus iuxta sua privilegia confiteri etiam possunt alij sæculares.

Parochorum immediatus Pastor est Episcopus, vel qui, quasi Episcopale munus habet: ex consuetudine tamen eligunt sibi Confessarium: quod & aliis Sacerdotibus sæcularibus probabile putat Suarez. Sed neque de his potest iam constare talis consuetudo: quia hi omnes post Tridentinum non possunt eligere Confessarium, nisi approbatum ab Episcopo: qui, si Regularis sit, iam habet aliunde iurisdictionem per privilegia sui Ordinis: si verò sit sæcularis, habebit iurisdictionem ab Episcopo, qui non solet communiter dare approbationem Sacerdoti sæculari sine licentia, & iurisdictione ad absoluerendum in sua diocesi: quare vix poterit vnquam occurrere casus, quo Parochus, vel Sacerdos eligant sibi Confessarium non habentem aliunde iurisdictionem.

Ij, qui dicuntur vagi, sed quod non habeant certum domicilium, confiteri debent Parochi, sub quo De vagis actu

4.
De Prælati Regularibus.

5.
De Cardinalibus.

6.
De Parochiis & aliis Sacerdotibus.

7.
De vagis actu

acta reperiuntur, qui verò peregrinantur, & iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum Pastorum confiteri etiam Parocho illi, quem in eo loco inveniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint à suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiterentur. Qui habent domicilium in duplici parochia, possunt in utraque Sacramenta recipere, vel certè in illa, in qua tunc inveniuntur: sicut scholastici, milites, mercatores, & similes possunt illi Parocho confiteri, apud quem habitant. Et in his omnes ferè conueniunt, & facilia sunt.

8. Restant tria paululum difficiliora. Primum, an Parochus vel etiam Episcopus extra diœcesim possit absoluerè suum subditum. Respondeo affirmatiuè cū communi: quia hæc iurisdicção non est contentiosa nec requirit strepitum iudiciale. Notat autè benè Suarez *disp. 25. sect. 1. n. 17.* hoc locum etiam habere in eo, qui habet iurisdiccionem delegatam, quam poterit exercere circa subditos delegatis, ubicunque eos inueniat: quod intelligi debet, dummodo delegationis formula non limitet ad talem locum, vel diœcesim, prout alicubi apponi consuevit.

9. Secundum dubium est an, in hoc foro acquiratur iurisdicção ratione delicti in tali loco. Affirmant enim Adrianus, & Antoninus apud Suarez *ibi. n. 18.* id tamen ab omnibus meritò rejicitur: quia ille, qui per duos menses fuit in vna Parochia, & per duos alios in alia, deberet postea diuidere confessionem & vni Parocho confiteri peccata primi bimestris & alteri Parocho peccata secundi, quod est cōtra institutionem huius Sacramenti, atque idè in hoc foro non attenditur tempus, vel locus delicti commissi, sed confessionis, unde, qui hodie sit Religiosus, potest iam peccata in sæculo commissi apud suum Prælatum confiteri, qui nunc est eius Parochus.

10. Tercium, & difficilius dubium est, an propter ignorantiam proprii Parochi possit subditus eligere sibi alienum Sacerdotem in Confessariu. Affirmat cōmunis sententia, quam sequitur etiam Valquez *quest. 93. art. 2. dub. 3.* propter textum in *cap. Placuit. 9. quest. 2. & de pœnit. dist. 6.* cuius verba sunt hæc: *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdoti liceat quilibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu eius, cui se prius commisit, nisi per ignorantiam illius, cui peccans prius confessus est.* Dicunt tamen non sufficere quamlibet ignorantiam Confessarij, sed debere esse in eo gradu, quo confessionem redderet irritam: Addunt, non posse eligi alienum, quando essent alij Confessarij apti, qui saltem ex commissione iurisdiccionem haberent: quod tamen alij limitant, si habeant commissionem à Parocho, vel Episcopo, secus si à Papa: quia, sicut pœnitens non tenetur recurrere ad Papam, ita nec ad eius Commissarios. Item alij dicunt, non posse eligi alienum, quando esset aditus ad Episcopum. Alij addunt, debere saltem per facultatem ab ipso Parocho: quod tamen alij rejiciunt. Alij extendunt hanc facultatem ad alios casus similes, ut si Parochus soleat reuelare confessionem, vel provocare ad malum: imò Gabriel extendit ad casum quo Parochus esset excommunicatus aut suspensus. Alij, cum quibus Valquez, volunt solum habere locum in casu ignorantie. Quas sententias, & earum probabilitatem examinat latè Suarez *disp. 17. sect. 2. à num. 12.*

11. Alij, quibus magis assentior, dicunt, textum illum non concedere talem facultatem. Ita Suarez loco citato, n. 21. Cominch. *disp. 8. dub. 2. num. 14. & dub. 9. num. 64.* cum Sancto Thoma *distin. 17. quest. 3. art. 3.* Cano. *5. parte elect. de pœnit. & Sor. in 4. dist. 18. question. 4. artic. 2.* Et quidem, si textus intelligendus esset de facultate eligendi

Sacerdotem alienum in Confessariu, non probaret, nec concederet facultatem illam vniuersaliter, & ad omnes casus: sed solum, quando iam pœnitens in ipsa confessione actuali expertus esset ignorantiam proprii Sacerdotis, ut constet ex illis verbis: *Propter ignorantiam illius cui prius confessus est.* Audtores autè cōtrarie sententiæ nullo modo exigunt tale cōditione. Non ergo loquitur ibi textus de eligendo alio præter proprium Parochum: sed de recursu ad secundum Sacerdotem pro moderanda pœnitentia publica à priori imposita, cui se pœnitens commiserat: hoc est ad quem venerat, & cui se tradiderat, ut pœnitentiam ab ipso acciperet pro aliquo publico delicto. Nam, ut benè expendit Suarez, illa verba: *Cui se prius commisit,* significant ipsam pœnitentem ex se voluisse recurrere ad alium: parochianum autem non dicuntur se committere suo Parocho; sed committi ab Episcopo, qui constituit Parochum. Sermo ergo est de illo, qui se sponte subiecit, & postea, quia durior expertus fuerat, volebat alium tentare.

Confirmatur primò hæc interpretatio: quia si de delictis secretis sermo esset, & de pœnitentia secreta, difficile posset unquā probari ignorantia prioris Confessarij, prout probari debuisset, ut posterior pœnam in eo textu impositam euadere posset. Quæ tamen ignorantia in delicto & pœnitentia publica facile posset comprobari, cum posset Prælatus & secundus Sacerdos ex regulis pœnitentialibus clarè cognoscere errorem primi in assignanda pœnitentia publica maiori. Non ergo agitur ibi de recursu ad alium solum pro confessione eiusdè peccati.

Confirmatur secundò, quia, si facultas illa esset, eligendi Confessarium propter ignorantiam proprii Parochi, frustra exigeretur, quod pœnitens iam confessus esset Parocho ignoranti. Ad quid enim id deserviret, nisi ad faciendam confessionem faciliorem, si iam aliunde comperta erat pœnitentia ignorantia Parochi, vel ex eius responsis, vel ex relatione aliorum pœnitentium, qui etiam in confessione ignorantiam ipsius experti essent.

Confirmatur tertio: quia, si solum in casu talis ignorantie Parochi, quæ confessionem redderet nullam, daretur ibi facultas pœnitenti eligendi Confessarium; esset ferè inutilis illa decisio: vix enim unquam talis ignorantia in Parocho reperitur: quare prouisum solum fuisset necessitati pœnitentis in casu quodam metaphysico, non prouidendo ad casus alios morales magis frequentes, in quibus non potest Confessarium eligere.

Confirmatur quarto, quia vel pœnitens ille, cui prouidetur ibi de remedio, supponitur doctus, vel ignorans. Si primò, non indigebat alio Confessario: quia ipse posset supplere Parochi scientiam, explicando illi benè gravitatem, & species suorum peccatorum, quod sufficeret, ut Parochus existimaretur posse sufficienter audire illam confessionem: de facto enim aliqui approbantur ad audiendam confessionem Sacerdotis docti, verbi gratia, solius Parochi, qui non iudicantur apti ad audiendas confessiones rusticorum. Si verò pœnitens ille esset ignarus, iam nec ipse posset iudicare de ignorantia Parochi, & de gradu illius ad hoc ut propter illam eligeret sibi alium Confessarium: quare facultas illa fuisset omninò inutilis, & sine effectu.

Denique ex ipso contextu colligi videtur, sermonem esse de pœnitente, qui peccatum, quod iam confessus fuerat, volebat postea alteri confiteri: alioquin, quorsum mentio fuerat de confessione prius facta? Certum est autem, quam fuisse prohibitum iterum alteri, etiam alieno, confiteri eadem peccata, quæ iam pœnitens proprio

proprio Parocho semel confessus fuerat; neque hoc prohibuit Pontifex in illo textu: non est ergo semel de eo qui solum volebat utcumque alteri confiteri; sed de eo, qui volebat penitentiam pro delicto publico sibi impositam ab alio diminui: quod quidem non parum derogabat auctoritati prioris Sacerdotis, & enervabat rigorem disciplinae, cum singuli eo timore, ne recurreretur ad alium pro moderatione penitentiae à se impositae inclinarent ad consentiendum facile penitentibus, & taxandas penitentias publicas, pro delictis publicis, prout olim fiebat. Nec necesse est illum textum aliter intelligere sine ullo fructu: cum iam illa facultas, etiam si vera fuisset contraria sententia, ad nihil deferretur: si quidem nullus erit Sacerdos alienus, quem penitens propter eius doctrinam velit eligere, qui non habeat auctoritatem, quam habet Parochus, vel à Pontifice, si sit regularis, vel ab Episcopo, si sit Sacerdos secularis.

Poterat ultimum dubitari in hoc loco de Novitiis religiosi, quis habeat potestatem ordinariam in ordine ad eorum confessiones. De hoc tamen aptius dicitur *infra*, agendo de absolutione à reservatis.

SECTIO II.

De Ministro delegato ad confessiones audiendas.

^{15.} Possunt delegare iurisdictionem in hoc foro omnes, qui eam habent ordinariam. Unde Papa Episcopus & Parochus possunt eam delegare, Papa pro omnibus Christianis, Episcopus & Parochus singuli pro suis, quibus requiritur autem in eo, cui delegatur iurisdictione, capacitas, hoc est, non esse impeditum per aliquam censuram, & post Tridentum, requiritur approbatio facta ab Ordinario. Similiter possunt delegare Vicarius Episcopi, Summus Penitentiarius, & alij similes.

^{14.} Difficultas est primo, an qui habet iurisdictionem delegatam possit eam alteri subdelegare: de quo late Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31*, ubi affert multos affirmantes delegatum ad universitatem causarum posse subdelegare; quod tamen si, ut sonat, accipitur, durissimum erit, nam Religiosi habent potestatem delegatam à Summo Pontifice, & quidem ad universitatem causarum, nempe, ad absolvendum omnes penitentes ab omnibus peccatis, &c. & tamen nemo dicit, eos posse hanc iurisdictionem aliis Presbyteris secularibus delegare. Credo itaque; totum hoc ex circumstantiis iudicandum esse: nam in delegante, quando habet potestatem ordinariam, non deest facultas delegandi cum potestate subdelegandi: an vero velit ita dare, ex verbis, & circumstantiis delegationis coniciendum est: nam Parochus, qui conducit Capellanum, cuius opera utitur, etiam in audiendis confessionibus suorum subditorum, non vult illi dare facultatem subdelegandi: quia solum vult eius operam, & exercitium actuale; non vero vult illi dare officium Parochi etiam partiale per modum officij, ut cum alijs notat Sanchez *ubi supra num. 3*. Qua ratione videtur se habere Pontifex, dum Religiosis dat potestatem absolvendi: vult enim solum eorum operam personalem, & ideo dicit, se dare illis facultatem audiendi confessiones, qui certe est actus maxime personalis.

^{16.} E contra vero, quando alicui communicatur officium, seu substituitur in officio, etiam ad breve tempus, videtur dari cum facultate subdelegandi. Unde Sacerdos relictus à Parocho absente per quindecim dies loco sui, vel subrogatus ab Episcopo loco Parochi per annum, vel semiannum,

potest ipse subdelegare ad aliquas causas, vel actiones speciales; non vero ad totum officium suum. Idem dicerem, quando datur facultas universalis alicui, non attenda persona, sed officio, ita ut perseueret in successoribus officij: si, v. g. Abbas, vel Praelatus regularis alicuius domus, habens sibi subordinatam aliam domum, vel villam eiusdem Conventus, committat Vicario, quem in illa habet, absolutionem à casibus sibi reservatis: poterunt ij Vicarij committere alijs Religiosis absolutionem in casu particulari, non generalem, qualem ipsi habent: quia delegatus non potest subdelegare, nisi ad causas particulares. Quando vero Episcopus dat alicui Praelato regulari facultatem absolvendi seculares à casibus sibi reservatis, an possit ipse, occurrente necessitate, illam facultatem communicare suis subditis: affirmat Diana *1. tomo tractatu 3. miscellaneo resolutione 53*, dum non concedatur, nisi ad illum casum. Quod admitti fortasse posset, si facultas esset concessa Superiori in genere, & omnibus successoribus: secus vero, quando data est huic personae illam petenti: intelligitur enim personalis, nisi ex verbis concessionis aliud colligeretur. Verbi gratia, si diceret Episcopus: *Substitu te*, vel. *Communica tibi meam omnem potestatem in ordine ad casus reservatos*, vel quid simile.

Secundo quari potest, an ille, cui iurisdictione delegatur debeat notitiam habere huius delegationis, ita ut aliter absolutio irrita sit. Affirmative respondet Coninch, *disputatione 8. dubio 5. num. 35*, quod videtur ut certum supponere Thom. Sanchez *lib. de Matrim. disp. 36. n. 8*, ubi dicit ignorantem, se habere iurisdictionem, non operari valide, licet illam habeat. Contra hoc tamen esse videtur; quia sequeretur Religiosum absolventem ab aliquo casu reservato, à quo ipse quidem absolvere potest propter sui Ordinis privilegia, invalidè absolvere, si ille nesciebat illud privilegium; absoluit tamen, quia ignoravit etiam, vel non aduertit, quod esset casus reservatus. Consequens autem durum est: quod enim Confessarij regulares ignorant multas censuras esse reservatas; & ignorant etiam facultates sui Ordinis? Item si Confessarius habebat facultatem ex aliquo viva vocis oraculo Papae; postea vero revocatis eiusmodi viva vocis oraculis prosequitur absolvens, non advertens ad revocationem; & postea errore cognito, inuenit se habuisse eandem facultatem, etiam per Bullam antiquam, vel per communicationem cum alia Religione, quam Bullam prius ignoraverat, durum erit dicere, quod interim invalidè absolverit, dum ignorabat illam Bullam, qua data sibi fuerat iurisdictione.

^{18.} Ego quidem existimo doctrinam illam Thomae Sanchez, formaliter loquendo, veram esse: hoc est, si aliquis putat se non habere iurisdictionem, actum non esse validum: quia non videtur habere intentionem validè absolvendi; v. g. qui putat se non posse validè absolvere. Ceterum, si ipse putat se habere iurisdictionem, licet erret in titulo, quo illam habet, & aliunde habet verè illum titulum, credo validam esse absolutionem, vel quemlibet alium actum. Quod probari potest exemplo morali: nam si dones domum tuam Petro, quam putabas te possidere titulo emptionis: & postea invenias titulum ipsum fuisse falsum, & venditionem fuisse invalidam, sed tamen aliunde invenis pertinuisse ad te titulo legati, quem titulum prius ignoraveras; reuera donatio tua valida fuit; quia habuisti animum donandi, & transferendi totum ius, quod habebas. Similiter ergo Confessarius, qui habet animum absolvendi, in quantum potest, & meliori modo, quo possit, validè

^{17.} An sine notitia acquisitionis iurisdictionis?

^{18.}

ibidem, §. 5. n. 2. Diana 1. tom. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 9. 4. quæ sententia valde probabilis est: quia res non est integræ. Gratius, & c. Relatum de officio delegati. Vnde ille, qui per Bullam Cruciatæ habet potestatem absolventi, si confessio cæpta est, poterit eam prosequi, etiam si interim finiat. rēpus Bullæ, quod idem de similibus facultatibus dicendum est.

Quintò disputari solet in hoc loco de eo, qui confitetur Regularibus habentibus facultatem à Papa audiendi confessionem; an teneatur confiteri eadem peccata suo Parocho, vel cum eo facere confessionem annuam: quod latè, & optimè tractat Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 6. Et tota fere difficultas est in explicando duplici decreto: altero Martini V. quod inferunt Ioann. Maior. distinct. 17. Henricus quodlib. 10. quæst. 1. Adrianus quæst. 5. de confessione, & Medina quæ de confessione Fratrum privilegii facta, ubi dicitur. Volumus autem, quod ij, qui Fratribus confitebantur, eisdem suis parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur; quodque ijdem Fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Altero Sixti IV. in Extravaganti, Vices de regna & pace, ubi præcipit, quod ipsi Medicantes desistant prædicare, quod parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti: quia de iure tenetur parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen (inquit) ipsi Fratres Medicantes non censentur exclusi, quominus secundum iuris communis, & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire, & penitentias iniungere valeant.

In hoc puncto non oportet iam immorari: quia loquendo de possibili, res est certa Pontificem Summum posse dare facultatem confitendi aliis, præter Parochum: cum ipse sit omnium Parochus, & Pastor. Et id definitum fuit à Ioan. XXI in Extravaganti, Paesestioni de hereticis, contra quemdam Ioannem de Poliano, quamvis ut notat Vasquez n. 2. neque ipse negaverit talem potestatem; sed solum dixerit, stante decreto Concilij Lateranensis in cap. Omnis utriusque sexus de penitent. & remissione, non posse tolli à Papa illam obligationem confitendi Parocho, nisi illi decreto derogetur. Hoc autem ipsum damnatum etiam est, & merito: quia decretum illud solum præcipit confessionem fieri proprio, vel alteri de licentia proprii, qui autem confitetur Religioso habenti facultatem Papæ, iam confitetur illi de licentia proprii; cum Sacerdos proprius non solum sit Parochus, sed etiam Episcopus, & Papa: alioquin neque ille, qui confiteretur Episcopo, observeret illud decretum, cum non confiteretur Parocho, nec de licentia Parochi: quod tamen absurdissimum esset.

Hoc itaque circa possibilitatem statuto, certum etiam est, de facto iam nunc fideles satisfacere præcepto confessionis annuæ, confitendi Religiosis habentibus à Summo Pontifice facultatem; nec debere iterum eadem, aut alia peccata confiteri Parocho: nam privilegia Regularium, præsertim moderna clarissimè loquuntur, & fidelium omnium usus ita observat: & Clemens VIII. speciali Breui ita declaravit 22. Decembris, anno 1592. ut refert Corninch. in præfenti disp. 8. dub. 9. De illa verò limitatione Martini V. & Sixti IV. dicendum videtur cum Ioanne Medina, quem sequitur Vasquez n. 18. illos non voluisse quidem obligare penitentem ad confitenda eadem peccata iterum Parocho: id enim absurdum esse dixit Benedictus XI. in Extravaganti, Inter cunctas, de privilegiis, sed solum, ut sicut nunc possunt apud Religiosos Eucharistiam sumere, P. Ioannes de Lugo de Penitent.

excepta Communionē paschali, quam habent à Parocho recipere: sic tunc licet per totum annum possint confiteri Religiosis, paschali tamen tempore, quando pro Communionē annua suscipienda debebant confiteri; eam confessionem apud Parochum facerent, vel apud alium de eius licentia. Vnde qui tunc non haberet materiam necessariam confessionis, non debebat Parocho confiteri: & hoc pro tunc in usu fuit, ut hoc saltem actu Parochum recognoscerent: postea tamen hoc etiam sublatum fuit, & relicta sola Communionē paschalis apud Parochum ex obligatione faciendā.

§. 1. An sufficiat iurisdicção delegata dubia, vel probabilis, ad ministrandum hoc Sacramentum.

Restat duplex dubium circa iurisdiccionem delegatam: primum, de iurisdiccionē incerta: quod potest dupliciter contingere. Primò, ita ut sit merum dubium negativum. Secundò, ita ut sit dubium, quod vocari solet positivum; quando, scilicet, probabile est, sed non certum, dari iurisdiccionem. Et quod attinet ad primum diximus disp. 8. de Sacramentis in genere, sect. 9. in principio. Quod potest licite Ministrum uti materia, vel forma dubia nisi in casu necessitatis, ut subueniat proximo eo modo, quo potest. Vnde à fortiori idem dicendum erit de potestate dubia, quia nemo poterit uti, nisi in casu necessitatis, quando aliud remedium magis securum exhiberi non possit. Quo casu absolutio debet dari sub conditione. Qualis autem, & quanta debeant esse necessitas, ut absolutio possit dari cum potestate dubia, tractat Suarez disp. 26. sect. 6. n. 3.

Difficultas tota est, quando est sub opinione, an Confessarius habeat iurisdiccionē, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus, & utrisque probabiliter in quo casu P. Suarez disp. 26. sect. 6. n. 6. & seq. dicit securius esse quærere Confessarium habentem certam potestatem: concludit tamen, licitum esse tam ex parte Confessarii, quam ex parte penitentis ministrare, & recipere hoc Sacramentum cum iurisdiccionē probabiliter, quia sicut, quando adest communis error, Ecclesia dat iurisdiccionem propter publicam utilitatem; ita quando adest opinio probabilis Doctorum affirmantium, dari potestatem tunc etiam propter communem utilitatem fidelium, qui iuxta illam probabilem sententiam operantur, Ecclesia dat iurisdiccionem, etiam si sententia illa sit re ipsa falsa: tum etiam, quia penitens communiter confitetur simul aliqua peccata venialia, super quæ quilibet Sacerdos habet directam iurisdiccionem, atque aded ab iis, saltem directè, absolvet, & faciet Sacramentum validum, quo indirectè saltem remittantur alia graviora, super quæ non habebat iurisdiccionem directam. Quem modum dicendi sequuti postea sunt Thomas Sanchez lib. 1. in Decalog. c. 9. n. 35. & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. tom. tract. de opinione probabilis, resol. 2. quibus adde Bonacinam disp. 2. de peccatis, q. 4. punct. 9. n. 19. Granadum 1. 2. controu. 2. tract. 22. disp. 4. sect. 4. Castri Palau tom. 1. disp. 2. punct. 5. n. 9. Turrianum in selectis disp. p. 1. disp. 11. dub. 2. Ioannem Sancium in selectis disp. 44. n. 24. Lessium lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68. Malderum 1. 2. q. 19. art. 5. disp. 86.

De soliditate huius fundamenti adhuc dubitat Salas in 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. unica, sect. 10. n. 101. & sect. 27. n. 286. & 287. quia utrumque illud e pur non est certum, sed sub opinionum diversitate: ergo semper relinquetur dubius valor Sacramenti, & per consequens penitens periculo exponitur damnationis: si forte opiniones illæ non sint veræ.

N n Ego

30.

Ego existimo in primis, si sermo sit de ordinaria confessione extra mortis periculum, sententiam illam tutissimam esse: quia proximus nulli vel certe exiguo periculo exponitur: tum propter vtramque rationem à Suario adductam: tum etiam, quia moraliter non est periculum, quod non possit iterum ante mortem confiteri alteri Sacerdoti, à quo, saltem indirecte, absolvetur ab his peccatis, & iustificabitur. Et quamvis possit repente mori, hoc tamen non censetur mortale periculum hic, & nunc: & sicut ipse pœnitens, quando scit, se esse in peccato, non tenetur sub mortali ad confessionem, vel contritionem statim ponendam ratione illius periculi, ut vidimus *disputat. 7. sect. 11.* sic multo minus censetur relinquere illum in mortali periculo damnationis Confessarius, qui enim absoluit, non solum cum opinione probabilis, sed cum fundamentis ferè certis de valore Sacramenti. Denique licet vilius esset pœnitenti, Sacramentum recipere absque illo qualicumque periculo: non tamen tenetur etiam ex charitate Minister dare Sacramentum cum omni vilitate, & securitate possibili, ut notauit Petrus Lotca in *1. 2. disput. 38. membr. 2.* unde dicit, quod non peccaret mortaliter Sacerdos, qui petenti Communionem, daret Hostiam probabiliter confectam, si non frequenter; sed semel, vel iterum id faceret, quod idem admittit de absolutione data iuxta opinionem probabilem: quod tamen intelligi debet cum moderatione dicta extra mortis articulum, in quo non semper licebit ita absolvere.

31.
Quid in mortis articulo liceat.

Hinc secundò addo, si confessio fiat in mortis periculo, & dubium sit de potestate Confessarii circa aliquod peccatum reservatum, sine censura, licet possit Confessarius amplecti opinionem probabilem dantem illi iurisdictionem circa illud peccatum: quia nec tunc videtur exponere pœnitentem vili periculo. Nam licet illa opinio esset falsa; adhuc Confessarius absoluit directè ab illis peccatis mortalibus non reservatis, quæ pœnitens confitetur, & facit Sacramentum validum, quo pœnitens iustificatur: illud autem peccatum reservatum habebit, se sicut illa, quorum pœnitens inculpabiliter est oblitus: idem enim est, non recordari alicuius peccati, vel ignorare obligationem confitendi illud alteri Confessario; qua obligationem tunc pœnitens inculpabiliter ignorat. Unde, si per multos annos oblitus esset illius peccati vel ignorasset eius reservationem, nemo unquam obligat illum ad repetendas confessiones, & confitenda iterum omnia peccata, quæ toto illo tempore confessus est suo ordinario Confessario; sed solum ad confitendum illud peccatum reservatum. Et hæc est praxis omnium fidelium, & totius Ecclesiæ. Supponunt ergo, confessiones illas fuisse validas quoad alia peccata. Similiter ergo in articulo mortis valida erit confessio quoad alia peccata, licet reuerà Confessarius non posset absolvere directè ab illo peccato reservato atque ideo nulli periculo suæ salutis exponitur ex hac parte pœnitens à Confessario.

32.

Dixi, quando peccatum reservatum non habet censuram, quando enim illam haberet, esset maius dubium: quia multi, ut *suprà* vidimus, sentiunt, excommunicatum, durante excommunicatione, non posse recipere validum sacramentum Pœnitentiæ, & hoc, etiam si inuincibiliter ignoret suam excommunicationem. Si ergo Confessarius non potest vere auferre illam excommunicationem, nõ faciet iuxta illam sententiam Sacramentum validum. Atque eadem, vel similis difficultas esse posset, quando in eodem mortis periculo Confessarius non solum dubitaret de potestate sua in ordine ad aliquod peccatum reservatum: sed simpliciter, & absolute,

de potestate absolventi à mortalibus, eò quod dubitaret, an esset approbatus, vel an accepisset iurisdictionem à potestate dare: tunc enim non est ita certum, quod possit Sacerdos simplex absolvere directè à venialibus eum, qui habet simul peccata mortalia. Unde ipse Suarez *infra disp. 31. sect. 3. n. 10. & 15.* non ita certam putat semper illam absolutionem à venialibus, sicut illam aliam à mortalibus reservatis. Videretur ergo Sacerdos in illo articulo alicui periculo exponere pœnitentem, quando absolueret cum opinione solum probabilis de sua potestate in ordine ad mortalia.

Hæc quidem vrgenti ita, ut si per principia intrinseca iudicandum esset, non videretur licitum, infirmum in his casibus absolvere cum sola probabilitate iurisdictionis. Per principia tamen extrinseca non videtur condemnandus, qui ita absolueret. Nam Auctores illius sententiæ vniuersaliter loquuntur de absolutione cum iurisdictione dubia, non distinguendo inter absolutionem à peccatis, vel à censuris. Deinde, quod attinet ad secundum casum, de habente probabilitatem tantum circa totam potestatem absolventi à mortalibus; ita videtur loqui expressè Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 15.* ubi dicit, omnino validam, & certam esse absolutionem simplicis Sacerdotis à venialibus in eo, qui habet mortalia quæ tunc indirectè remittuntur. Item P. Suarez *disput. 31. sect. 3. num. 10.* dicit, esse falsum, & improbabile, quod confessio facta simplici Sacerdoti de venialibus ab eo, qui habet mortale, cuius non recordatur, non sit valida, nec afferat gratiam sanctificantem homini aliàs bene disposito. Quare prædictam doctrinam ij proculdubio intelligunt etiam, quando infirmus absoluitur ab aliquo habente solum iurisdictionem probabilem circa mortalia; & praxis, ac vltus communis, quo maxime mouetur Suarez *disp. præsentis*, id confirmat: nec distinguunt de articulo mortis, & confessione ordinaria; sed in utroque casu absolunt cum iurisdictione probabilis. Credo tamen, quod id non concederent illi rationes cum neque Ecclesia posset supplere, & dare iurisdictionem, cuius ille non esset capax, si reuerà non esset Sacerdos; neque etiam per absolutionem directam à venialibus remitterentur cetera; cum neque à venialibus posset absolvere, si reuerà non esset Sacerdos.

Denique in primo etiam casu, de habente casum reservatum cum censura, in quo videtur esse maior difficultas, adhuc credo, Auctores illos idem sentire. Primò, quia generaliter loquuntur, ut dixi quod non debuissent facere, cum probabilitas iurisdictionis frequentius contingat circa peccata reservata, quæ magna ex parte referuntur ratione censure. Secundò, quia vltus, & praxis communis, quæ potissimum mouet Suarium ad illam sententiam defendendam, magis apertè constat in hoc casu. Nam si ratio in contrarium adducta probaret, deberemus quidem non solum in periculo mortis, sed etiam extra illud non absolvere ab excommunicatione vlla cum iurisdictione probabilis, vel certe deberemus admonere pœnitentem, ut faceret se absoluantem mortem ab alio habente iurisdictionem certam circa illam censuram: quia, si absolutio fuit irrita, & vera est sententia dicens, excommunicatum nunquam recipere Sacramentum pœnitentiæ validum nisi prius validè absoluitur ab excommunicatione; consequens erit, quod ille pœnitens nunquam iustificabitur ante mortem in hoc Sacramento. Idem ergo

ergo periculum erit absoluedi illum ab excommunicatione cum iurisdictione solum probabili extra mortis periculum, cum eo ipso remaneat iam inhabilis ad absolutionem sacramentalem inquam recipiendam. Et tamen usus omnium plane Confessoriorum hoc debet, ut amplectantur sententias probabiles circa absolutionem à censuris facultatis, & ita absoluant, non imponentes, quod ante mortem faciant, se iterum absolui ab alio, qui habeat certam potestatem. Fatendum ergo est, vel excommunicationem non impedire effectum absolutionis sacramentalis, ut communis sententia docet; vel certe Ecclesiam tunc conferre iurisdictionem ad absoluedum verè à censura: quia in hoc casu non solum interuenit error opinionis probabilis, qui certè non est communis omnium; sed eorum, qui tenent illam opinionem: (& tamen propter illum dicitur communiter Ecclesia dare iurisdictionem): sed interuenit error communis omnium: omnes enim Confessarii hodie habent hunc usum absoluedi, saltem extra mortis periculum, cum probabilitate circa potestatem absoluedi à censura, & casu referuato. Cum ergo ex hoc usu communi omnium sequatur manifestum periculum omnium penitentium, qui existimantes se iam absolutos, non curant amplius de absolutione ab illa censura, & remanent incapaces absolutionis sacramentalis; fatendum est, Ecclesiam propter hunc errorem communem ad impedienda illa damna conferre iurisdictionem, vel certe sententias illas, in quibus illud periculum fundatur, non esse veras.

35. Postremò, quia, licet aliqui Doctores teneant, absolutionem à peccatis non esse validam nisi prius tollatur excommunicatio, non ideo fit, quod in hoc casu non sit valida: ad hoc enim debent esse verè tres sententiae. Prima illa, quae dicit, non posse excommunicatum validè absolui à peccatis. Secunda illa alia, quae dicit Ecclesiam non dare iurisdictionem propter opinionem probabilem. Tertia denique illa, quae dicit, simplicem Sacerdotem non posse validè absolue in articulo mortis, praesente proprio Parocho, aut data opportunitate illum vocadi. Nam quaecumque ex his tribus sententiis sit falsa iam infirmus valide absoluetur, & non exponetur ulli periculo. Propter hæc ego credo, illos Auctores ita vniuersaliter fuisse loquutos; sed præcipue propter usum, & praxim communem omnium Confessoriorum quam necesse esset omnino condemnare, si non posset absolui in articulo mortis aliquis cum iurisdictione probabili à censura referuata, ut *suprà* ostensum est.

§. 2. An iurdictio delegata ad confessiones audiendas expiret morte concedentis.

36. Hoc est alterum, quod dubitari solet circa iurisdictionem delegatam, de quo latè & optimè Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 71. & sequent. ubi affert duas sententias. Prima affirmat expirare, quam tenent Paludanus, Antoninus, Narrius, Philarchus, & alij, quos refert *ib.* & n. 74. qui tamen ferè omnes non loquuntur de iurisdictione concessa à Summo Pontifice, in quo propter supremam potestatem concedunt iurisdictionem ab eo delegatam ad audiendas confessiones in genere non expirare eius morte, sed durare: quod videtur colligi ex c. si super gratia, de officio delegati in 6. & c. si cui nulla, de prabendis, in 6. quam sententiam imple etiam Sanchez probabiliter indicat.

37. Secunda sententia probabilior negat expirare potestatem illam morte concedentis: quod idem P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

est quando ille, qui concessit, amouetur ab officio, vel suspenditur, aut alio quocumque modo amittit potestatem, quam habebat. Hanc tenet Suarez in *presenti*, disp. 28. sect. 3. Henriquez lib. 6. c. 6. n. 7. de Indulgentiis, c. 21. n. 6. Sayre, Graffius, & alij, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibid.* n. 72. & 75. qui tamen num. 73. explicat, id intelligendum, quando licentia non conceditur ad audiendam confessionem penitentis determinati in penitentis fauorem: tunc enim, quoad confessionem nondum ceptam, expirat morte concedentis.

38. Probatur, quia hæc est differentia inter iurisdictionem contentiosam, seu ad lites, & inter iurisdictionem fori gratiosi, ut hæc pertineat ad gratiam illa ad iustitiam, atque ideo iura, quae dicunt iurisdictionem delegatam perire morte concedentis; loquuntur de contentiosa, non de gratiosa: hæc enim est gratia, quae fit non tam penitentibus, quam Confessorio, cui statim acquiritur, & in quo radicatur, postquam ab ipso acceptatur, & in illo perseverat: Nec quoad hoc videtur esse differentia inter licentiam concessam ab Episcopo, vel à Papa, cum uterque possit delegare, licet non ita generaliter Episcopus sed cum maiori limitatione quoad locum, quoad peccata. Imò idem dicendum cum proportionem de Parocho, licet subdubitet Suarez n. 12. Sed eadem est ratio, ut fatetur Sanchez n. 27. cum ipse etiam habeat potestatem ordinariam. Quando verò datur licentia Confessorio in gratiam penitentis determinati, gratia non fit Confessorio, sed penitenti: & ideo re integra expirat, quia gratia nondum censetur perfecta, sed exequenda per Confessarium, atque adeò magis videtur esse gratia faciendae, quam factae. Aliud autem esset de licentia concessa ipsi penitenti eligendi Confessarium: hæc enim, siue concedatur ab Episcopo, siue ab alio Prelato, vel etiam à Parocho, non expirat morte concedentis, ut cum multis docet ipse Sanchez *ib.* n. 75. quia tunc gratia, seu licentia conceditur directè penitenti, quo acceptante, iam gratia perfecta est & facta, non faciendae, sicut erat in priori casu, in quo Confessorio committitur gratia faciendae, nondum verò est alicui facta.

39. Contra hanc sententiam aliqua solent obijci. Primo, quia Vicarius Episcopi, licet eius iurdictio sit ordinaria, expirat morte Episcopi, eo quod sit ab illo participata: ergo à fortiori cessabit iurdictio delegata ab Episcopo. Respondeo, negando consequentiam: nam Vicarius facit vnum, & idem Tribunal cum Episcopo: unde re etiam non integra expirat potestas Vicarij, cum tamen certum sit potestatem delegatam ad audiendas confessiones non cessare, quando confessio cepta est, etiam si moriatur Episcopus: delegatus enim non facit vnum Tribunal cum delegante, unde in foro externo datur appellatio ad delegantem ab eius delegato.

40. Secundò obijciunt: quia eiusmodi licentiam concedere pro tempore futuro, præiudicat successori, ad quem pertinet providere quibus suo tempore prædecessor enim solum poterat pascere oves, & illas iudicare, dum viveret Respondeo. Hoc argumentum probaret, nec Summum Pontificem posse dare talem licentiam, quæ non pereat eius morte: quia etiam ipse præiudicaret successor: quod tamen est aperte falsum, & contra communem praxim Ecclesiae. Sicut ergo ad Pontificem spectat non pascere oves, non solum per se ipsum, sed etiam per alios: & licet non spectat ad ipsum pascere illas postea, ad eum tamen non spectat providere hunc modum quo postea bene pascantur: & ideo nunc potest communicare suam potestatem aliis ad eum finem & hoc sine præiudicio successoris, quia successor poterit

poterit reuocare, vel moderari illas facultates: ita cum proportionem Episcopus nunc potest non solum pascere per se ipsum, sed per alios, & nunc providere modum, quo postea per alios bene pascantur sine præiudicio successoris, qui potest reuocare, vel moderari illas facultates pro suo libito.

41.
An Prælati possit sibi dare licentiam pro tempore futuro.

Sed contra urgebit aliquis terribiliter: quia, si Prælati nunc potest dare mihi licentiam, qua ego utar pro tempore, quo ipse iam non erit Prælati: ergo poterit etiam nunc sibi ipsi dare talem facultatem, qua utatur postea, quando non erit iam Prælati. Unde Prælati regularis poterit paulo ante finem suæ prælaturæ concedere sibi omnes facultates, & licentias, quibus verisimiliter credit, quod postea indigebit; atque ita faciet se quasi exemptum à successore pro tempore sequenti, quod certe neque videtur esse in usu, neque posse admitti sine magno præiudicio discipline regularis. Non potest ergo Prælati dare nunc subdito facultatem, qua utatur eo tempore, quo iam non erit eius subditus: sed sui successoris: alioquin posset eas licentias sibi sumere, cum non minus posset sibi concedere, quam suis subditis.

42.

Respondendo, negando sequelam simpliciter, & absolute. Pro cuius explanatione aduerto facultates, quas prælati concedit, posse esse diversas: alie enim sunt, quæ nunc quidem mandantur executioni, licet earum effectus perseveret postea, alie vero sunt, quarum & effectus, & executio ipsa postea ponenda est. Ad priorem classem spectat commutatio, vel dispensatio in voto, quæ semel executioni mandata; habet tamen suum effectum successivè tempore etiam subsequenti. Item, quando Prælati dat licentiam mihi accipiendi vestem, vel Breuiarium ab amico: nunc enim executioni mandatur illa licentia, & nunc accipio vestem, v. g. quam postea retinere possum absque nova licentia successoris. Et quidem his, & similibus poterit Prælati finita prælatura frui, quando ea executioni mandavit tempore, quo poterat eiusmodi facultates circa se, & circa alios exercere. Quare, si sibi accipit ab amico vestem, vel Breuiarium, poterit retinere postea, sicut possent alij subditi, quibus ipse dedisset similem licentiam. Ratio, quia, cum ipse esset tunc administrator rerum communium, ad eum pertinebat dividere, & applicare singulis, quæ prudenter iudicaret illis applicanda. Sicut ergo poterat alius applicare vestem, aut Breuiarium ad eorum usum: sic poterat sibi, qui erat vnus ex illis, qui debebant participare bona communia; servata tamen prudenti, & rationabili distributione; ut non applicaret sibi plusquam aliis cum eorum præiudicio; hoc tamen etiam servandum erat in applicatione, & licentia respectu aliorum subditorum. Iam ergo erat illa vestis ei legitime applicata ab eo qui habebat munus applicandi, & distribuendi bona communia.

43.

Ad posteriorem classem pertinet facultas v. g. accipiendi aliquid, vel donandi, aut vendendi anno sequenti; item facultas data alicui, ut postea vel absolvat, vel absolatur à peccatis reservatis, hæc enim, & similes facultates non habent præsentem effectum nec executionem, sed futuram tempore sequenti; & has facultates dicimus non posse Prælatum dare sibi nunc pro tempore sequenti, quo iam non erit Prælati. Potest itaque nunc accipere vestem: quia hoc iam nunc mandatur executioni: potest item nunc accipere pecuniam ab amico, & retinere, & in virtute huius legitimæ acceptionis, qua accepit illam ad usum non communes, sed suos, potest etiam finita prælatura eas retinere, vel apud se, vel saltem apud illum, apud quem alij subditi deponunt id, quod cum licentia accipiunt ad usus suos: non tamen

poterit eas postea expendere sine licentia successoris: quia licet potuerit eas pecunias licite accipere, non tamen dare sibi licentiam ad eas expendendas tempore sequenti, quando iam ipse esset subditus. Similiter non poterat, quando erat Prælati dare sibi facultatem absolvendi alios Religiosos à reservatis, quando iam non esset eorum Prælati, nec etiam ut ipse ab eis absolueretur: quia illa licentia mandanda esset executioni tempore sequenti, quo iam ipse non posset eam concedere.

Restat tamen reddenda ratio, cur magis possit Prælati concedere aliis licentias posterioris generis, etiam si mandanda sint executioni tempore sequenti, quando ipse non erit Prælati, & non possit sibi ipsi eas communicare pro tempore sequenti. Cur, v. g. possit aliis dare facultatem absolvendi à reservatis, etiam tempore sequenti, subditos huius Conventus, vel Provinciae, cui ipse nunc præest, & non possit sibi dare nunc eam facultatem ad tempus sequens. Ratio autem videtur hæc esse, quia ipse nunc non est capax accipiendi talem commissionem: potest enim ipse nunc absolvere, vel per se, vel per alios, quibus committat illud officium: non potest tamen committere illud, nisi iis, qui sint capaces talis commissionis accipiendæ. Unde non possit nunc dare eam facultatem homini non baptizato, vel non Clerico, qui futurus esset Clericus tempore, quo iam ipse non esset Prælati: nunc autem ipse Prælati non est capax accipiendi delegationem, vel commissionem à se ipso, quia inter delegantem, seu committentem, & delegatum, seu commissarium, debet dari distinctio: quare ipse non potest tunc accipere illam facultatem, postea vero non potest etiam, quia iam expiravit potestas in dante. Ergo licet aliis possit communicare eiusmodi facultatem, non sequitur, quod possit eam communicare sibi ad tempus futurum, quo non erit Prælati.

Possit tamen id fortasse fieri, si non daretur facultas sibi immediate, sed mediate. Possit autem eiusmodi mediatio dupliciter poni. Primum si Prælati daret alij facultatem absolvendi à reservatis, v. g. cum potestate subdelegandi: nunc enim, sicut ille posset aliis subdelegare eam facultatem: sic posset ipse, qui dederat, finita prælatura. Secundò possit mediare aliqua persona facta, seu communis, si Prælati provincialis, v. g. daret facultatem absolvendi omnibus Religiosis talis Domus, vel Conventus, quicunque essent: tunc enim, si ipse, finito Provincialatu, fieret habitator illius Domus, posset frui eadem facultate, sicut alij. Vergete casus colligi potest ex dictis, applicando argumentum, quod usurpavimus ex facultate commissa à Pontifice, & eius duratione post mortem concedentis. Similiter enim, si Pontifex Summus alicui daret facultatem absolvendi cum potestate etiam subdelegandi: non est dubium, quin Pontifex ipse renunciato Pontificatu posset accipere facultatem ab illo, cui ipse eam dederat, sicut possent accipere alij omnes Sacerdotes. Item si Pontifex dedisset facultatem absolvendi omnibus Religiosis talis Ordinis, non est dubium, quin renunciato Pontificatu, si fieret Religiosus in illo Ordine, posset frui eadem facultate, quam ipse prius toti Ordini concesserat. Hinc autem colligitur, idem dicendum de Episcopo, qui similiter, si dedisset facultatem absolvendi à casibus Episcopalis Religiosis talis Conventus, posset ipse frui postea hac facultate, si relicto Episcopatu fieret Religiosus in illo Conventu.

Ratio autem in utroque casu est, quod tunc Prælati non dat facultatem sibi, sed alteri capaci, scilicet, vel illi delegato, cui dat etiam facultatem subdelegandi, vel toti communitati talis Conventus: ergo

hi autem possunt tunc accipere, & acceptare illam facultatem, quæ cum semel sit penes ipsos, poterit postea eidem Prælati facto subdito communicari. Cessat ergo in utroque casu ratio, ob quam non poterat Prælati dare sibi ipsi immediate eiusmodi facultatem, eò quod non inueniretur subiectum capax illam recipiendi tunc quando ipse poterat eam concedere.

47. Obijcies vltimò, ex his sequi quòd delegatus aliquando habebit maiorem auctoritatem, quàm habeat ipse delegans. Si v.g. Summus Pœnitentiarius Pontificis potens absolvere, vel dispensare in tali casu, & potens delegare illam facultatem, communicet, vel deleget Titio facultatem generalem absolvendi, vel dispensandi in illo casu: & postea Pontifex limitet potestatem Pœnitentiarj, & auferat ei potestatem illam ad talem casum: tunc Titius, cui Pœnitentiarius illam facultatem dederat, retinebit adhuc illam, quam iam ipse Pœnitentiarius non habet. Probat sequela: quia si mortuo, vel amoto ab officio delegante, non expirat potestas in delegato: ergo multò minùs expirabit ex eo, quòd delegantis potestas sit aliquantulum diminuta.

48. Respondeo dupliciter posse Pontificem auferre illam facultatem. Primò, reuocando omnes facultates, seu, quod idem est referuando sibi, vel alicui Tribunali determinato illam facultatem absolvendi, vel dispensandi: & tunc non est dubium, quin delegatus ille amitteret suam facultatem per referuationem de nouo factam. Secundo, posset Pontifex soli Pœnitentiario, v.g. auferre illam facultatem, quam priùs Pœnitentiarij habebant: & tunc non video, cur delegatus, qui iam antea acceperat illam facultatem à potente eam communicare, debeat illam perdere. De facto enim in Bullario Regularium plures facultates, & privilegia inveniuntur concessa Regularibus à Summis Pœnitentiariis qui ea concedere poterant: quæ certè non amitterentur, licet Pontifex nunc extingueret omnino officium Summi Pœnitentiarj. Ergo à fortiori non amitterentur, licet officium illud limitaretur, vel quoad aliquid diminueretur. Ad valorem enim illius facultatis non debet attendi, qualem potestatem habeat nunc, qui illam concessit: sed qualem habebat tunc, quando illam concessit. Si ergo poterat eam concedere, & concessit abque limitatione, & in perpetuum; non mirum, quòd delegatus, cui Pontifex nihil auferit maneat quoad illum casum cum maiori potestate, quàm is, à quo illam accepit.

DISPUTATIO XX.

De Ministro confessionis in ordine ad peccata referuata.

SECTIO I. *Qui, & quorum peccata possint referuare.*

SECTIO II. *Quæ peccata possint referuari.*

SECT. III. *An possit Episcopus pro libito referuare casus absque legitima causa.*

SECTIO IV. *An, & quomodo Prælatus Regularis possint referuare peccata.*

SECTIO V. *De eo, qui potestate ordinaria absolueret potest a referuatis.*

SECTIO VI. *Virum superior possit audire sola referuata, & absolueret penitentem ab illis.*

SECTIO VII. *Virum facta semel confessione cum P. Ioann. de Lugo, de Pœnitent.*

potente absolvere à referuatis, censetur ablata referuatio pro omnibus, quæ penitens propter obliuionem omisit.

SECTIO VIII. *De Ministro, qui ex potestate delegata potest a referuatis absolvere.*

SECTIO IX. *Virum Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ absolui à casibus suis Prælatis referuatis, absque eorum licentia.*

SECTIO X. *An possit aliquando absolui directè subditus a referuatis, sine recursu ad Superiorem.*



IXIMVS de potestate iurisdictionis requisita ad absolvendum; nunc magis in particulari agendum de facultate, & iurisdictione requisita ad absolvendum à referuatis, quod ad praxim omnino necessarium est, ad quam conabimur non solum regulas communes assignare, sed iudicare etiam earum applicationem ad casus particulares magis dubios.

SECTIO I.

Qui, & quorum peccata possint referuare.

CERTUM est de fide, esse in Ecclesia potestatem referuandi peccata non solum quoad exterius iudicium, & politiam: sed etiam apud Deum ita vi, facta referuatione, absolutio data ab inferiori non sit valida coram Deo. Quod contra VViclephum latè probat Valdens. secundo tomo de Sacramentis, cap. 149. & contra Hæreticos nostri temporis definitum est expresse in Tridentino sessione 14. c. 7. ubi ex natura, & conditione iudicij, quæ huic Sacramento competit, & ex Ecclesiæ vlu id probatur, & definitur extra mortis articulum Sacerdotes alios in casibus referuatis nihil posse, & referuationem non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere: quod idem postea canonè 11. repetitur. Ratio autem est clara, quia cum in hoc Sacramento requiratur non solum Ordinis potestas, sed etiam iurdictio, quæ inferioribus à Superioribus communicari debet; consequens est, ut Superior possit hanc iurisdictionem magis, vel minùs limitare, dando illam ad plures, vel pauciores personas: ad plures, vel pauciores causas, prout ipsi visum fuerit: quod est referuare sibi absolutionem earum, quas inferiori non concedit.

Hinc constat primò, Summum Pontificem pro suprema, & vniuersali potestate posse sibi referuare aliqua peccata pro tota Ecclesia: Episcopos item, per se loquendo, posse pro suo Episcopatu: Parochum denique pro sua parochia: ita tamen, ut referuante Pontifice, nemo possit absolvere, nisi de licentia ipsius Pontificis: referuare Episcopo possint absolvere alij de licentia Summi Pontificis. Denique, si Parochus referuaret, possent alij absolvere de licentia Papæ, vel Episcopi. Et idè non solent Parochi referuare: quia esset fere inutilis illa referuatio. Possunt item Prælati Regulares, etiam locales, referuare sibi aliqua peccata, nisi prohibeantur à Superioribus, prout prohibiti sunt de facto à Clemente VIII. referuare, nisi certa peccata expressa, de quo postea dicemus.

Difficultas esse potest, quomodo possit Episcopus referuare sibi aliquos casus, à quibus Parochi absolvere non possint. Nam Parochi, eo ipso, quod sunt Parochi, sunt Pastores, & habent iurisdictionem ordinariam in suas oves, quam iurisdictionem non videntur omnino habere ab Episcopo.

N n 3 copo.